Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput III

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

nu poſſint de arbuſtis demi. Morbus illi præcipuus pennarum depoſitio. Fit antequam Nilus campos inundat, id eſt, in Auguſto. Flante enim Auſtro alas expandunt, & venti tepore incaleſcunt; hic ſi defuerit, alis contra ſolis expanſis & percuſſis radios, tepentem ſibi faciunt auram; Capto tepore, laxatis poris, & veteres exiliunt, & novæ creſcunt. Ad ſeptingentos annos pertingere putarunt Ægyptii.

CAPUT III.
DE ASSALONE ET ARDEA.

ASſalon Smerillus & Merillus dicitur. Alaudas tam avide inſectatur, ut vel ad clibanum uſque ardentem; quandoque ad puteum, vel hominum veſtes offendat. *Creſſent. l. 10. c. 13.* Cum vulpe & Corvis bellum gerit, & horum ova conterit, illius necat catulos. *Ardeas* in Anglia occidere capitale eſt. Hinc magnus illarum ibi numerus. Tanta præditæ ſunt continentia, ut ad Venerem acceſſuræ, dies quadraginta triſtentur. *Glycas l. 1. animal.* Excrementa ſua in accipitrem ſi ejecerint, pennas ejus & putrefaciunt & exurunt. Imminente pluvia ſupra nubes evolant. Oſtreas cum teſtis devorant; ſed ubi apertas à calore interno eſſe credunt, evomunt iterum, & carnem à teſtis ſeparant. Aſtute inſidiantur piſcibus. Nam ſolis ita excipiunt radios, ne illi viſa umbra, refugiant. Ea vero vi pollere *ruſtici Colonienſes* aſſerunt, ut pede aquæ impoſito, tanquam illicio, piſces allicere dicantur. *Geſnerus* certe in libro Germanico ſe legiſſe ſcribit, ſi pedes illarum deſtillentur per deſcenſum, & oleo inde collecto inungantur manus, piſces ſponte advolaturos, ut comprehendi poſſint. *Franciſcus Valleſius* I. Rex Gallorum adeo cicures reddidit, ut à paſtu redeuntes, licet natura feræ eſſent, ad ardearia ſeſe reciperent. In coitu ſanguinem ſudare, ſcripſere quidam, refellit *Albertus.*

CAPUT